

**T**recentos abhinc annos prudenti maiorum consilio studiisque egregiis conditum in hac civitate dedicatumque Idibus Iuniis a. MDLVIII gymnasium postquam non sine gravi fatorum vicissitudine ad haec usque tempora permansit, iam tertia eius parantur sacra saecularia. In quibus obeundis facere nos oportet, ut ante omnia gratiam, quae debetur maxima, persolvamus DEO IMMORTALI, qui sui numinis afflatu senescentem iamiam ac belli furoribus prope extinctam scholam ad hunc vigorem resuscitavit; deinde ut salutem pie precemur Regi Augustissimo, cuius in tutela ut omnino artes literaeque, quarum est existimator intelligentissimus, laetissime florent, ita harum aedium ex quo et iacta sunt ipsius manu fundamenta et forma est ab ipso describi iussa ornatio, iam quintae et vicesimae Idus Iuniae renovantur; tum Virorum Summorum atque Clarissimorum, qui iussu regio quum universi regni tum huius provinciae rebus scholasticis vel praefuerunt vel praesunt, efferamus et in regenda institutione publica sapientiam et in iudicanda opera nostra humanitatem; denique Senatus Populique Gedanensis luculentum praedicemus patrociniū, quo gymnasii necessitatibus nunquam non esse liberalissime provisum ipsi, quibus amplissimae hae aedes extractae sunt, lapides clamarent, nisi nos grati profiteremur. Quoniam autem gymnasium nostrum, licet a maiorum instituto mutatum nonnihil sit et ad huius aetatis rationes accommodatum, tamen cum vetere illo sive Athenaeo sive gymnasio Academico quum aliis rebus plurimis tum illo iuventutis optimis artibus pietateque euangelica imbuendae consilio artissime est coniunctum, recordati, quam egregia etiam apud exteros fama doctissimorum virorum studiis haec schola tot per annos floruerit, considerantesque, quanta fuerint novissimo hoc saeculo doctrinarum artiumque omnium incrementa, curandum nobis esse duximus, ut, quantum quidem in nobis esset, digna

tantis Dei hominumque beneficiis, digna maiorum laudibus, digna communi hac eruditionis luce sacrorum saecularium celebratio et nunc esset et ad posteritatis memoriam propagaretur. Itaque primo solennium die, ipsis Idibus Iuniis, quae est dominica tertia post pentecosten, in aede SS. Trinitatis, qua cum aede et vetusta olim religionis atque originis necessitudo gymnasio fuit et nunc nova contracta est familiaritas, supplicatio erit DEO OPTIMO MAXIMO; postridie eius diei in ipsius gymnasii auditorio maximo festas orationes habebunt alteram rector germanicam, alteram professor primus latinam; tertio die discipuli Plauti Captivis et Sophoclis Antigona, sua utraque fabula lingua, agendis non tam histrioniae artis quam studiorum atque diligentiae in antiquitatis literis collocatae specimen dabunt. Etiam musica ars suas singulis diebus partes explebit. Neque deerunt reliqua quae eiusmodi dierum festorum esse putantur ornamenta. Sed ut praesentis animorum elationis atque laetitiae etiam longissimae concelebrantium memoriae superstes ad posteros monumentum extaret, superiorum saeculorum exempla secuti nummum feriendum curavimus, cuius in altera parte Constantini Ferberi, quo praeconsule conditum est gymnasium, in altera aedium, quibus nunc utitur ornatissimis, effigies a celebri artifice sculptae conspiciuntur; quibus coniunctis appareret, eundem illum libertatis euangelicae artiumque ingenuarum amorem, quo patres claruerunt, in nova domo antiqua fide coli ac foveri. Nosmetipsi autem, quotquot in hac schola erudiendae iuventuti operam damus, ex sua quisque disciplina argumentum aliquod elegimus, quo pertractato non defuisse bonis literis studia nostra atque hereditariam huius gymnasii doctrinae laudem certe voluisse nos tueri proximo saeculo probaremus.

Quod superest omnes, quibuscunque schola nostra curae cordique est, sacris saecularibus rite celebrandis ut interesse velint, ea qua par est pietate et observantia rogamus atque invitamus.